

12. Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo. — « Si enim videant vos nullam non tentationem tolerantes, inquit Theophylactus, ex dilectione, quam erga Deum geritis, qui. quæso, istum non est gloria ejus quoniam adeo bonus est, ut pro ipso moriantur etiam servi; et quia adeo potens, ut vos ad patientiam corroboret. Quin etiam et vos in ipso, quia usque adeo fideles inventi estis, ut omnia patiamini: gloria enim servi est, quod

fidelis domino inveniat. Maximo vero afflictio propter Christum gloria est; nam reddit splendidiorem nunquam non morti quidem traditos, potiores tamen ac superiores morte demonstratos. »

SECUNDAM GRATIAM DEI NOSTRI, ET DOMINI JESU CHRISTI. — *g. d.* Hoc ipsum quod opera fidei editis, quibus clarificatur Deus in vobis, et vos in Deo, totum hoc est opus et effectus gratiæ Christi, sicut et per gratiam Christi, non vestris viribus

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Docet non instare diem judicii, quodque ante eum fiet generalis apostasia, et venit Antichristus; cuius secundo, vers. 3, fastum, impietatem, miracula, seductionem et exitum describit usque ad vers. 12.*

*Tertio, vers. 12, congratulatur Thessalonicensibus, quod sint primitiæ fidelium et salvandorum.*

*Quarto, vers. 14, eos in fide confirmat, jubetque ut teneant traditiones, non tantum scripto, sed et verbo acceptas; ac tandem Dei gratiam eis apprecatur.*

1. Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum: 2. ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. 3. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, 4. qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam ait Deus. 5. Non retinetis, quod, cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? 6. Et nunc quid defineat scitis, ut reveletur in suo tempore. 7. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum: 9. cuius est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, 10. et in omni seductione iniquitatis iis qui perierunt: eo quod ei creditatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 11. ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. 12. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis: 13. in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi. 14. Itaque, fratres, state; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 15. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, 16. exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

4. ROGAMUS VOS, FRATRES, PER ADVENTUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET (repete per adventum) NOSTRÆ CONGREGATIONIS IN IPSUM. — cum scilicet Christo veniente ad nos, ut iudicet mundum, nos vicissim veniemus, et congregabimur ad eum, illicque occuremus. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Unde clarius eum Vatablo verti

posset ex Græco, et per nostri aggregationem in ipsum, Christum scilicet. Est obscratio et obsecratio per adventum Christi iudicis, id est per Christum venturum ad iudicium (est enim hypallage), perque ipsorum Thessalonicensium salutem et aggregationem ad Christum; ut, quantum reverentur Christum, quantumque amant suam

salutem, tantum aversentur pseudodoctores, hisque docentibus instare diem iudicii non credant (1).

2. UT NON CITO MOVEAMINI A VESTRO SENSU, — id est sententia, quam hactenus habuistis, quamque a me edocti estis de die iudicii, de Antichristo, aliisque signis que illam diem præcurret. Patet hic sensus ex seq., vers. 4 et 5.

NEQUE TERREAMINI NEQUE PER SPIRITUM, — id est fictam revelationem, quasi Spiritus Sanctus Prophete alieni revelarit instare diem iudicii: has enim revelationes et prophetias jactabant hi pseudodoctores. Unde tales prophetias probari et examinari jussit, *epist. I, cap. v, vers. 20 et 21.*

NEQUE PER SERMONEM, — supple, nostrum, vel a nobis dictum: hoc enim intelligendum esse arguunt sequentia in Græco.

NEQUE PER EPISTOLAM TANQUAM PER NOS MISSAM, — *ut dicitur in epist.*, id est tanquam a nobis profectum, tam sermonem, quam epistolam.

QUASI INSTET DIES DOMINI. — Nimirum hi pseudoprophete fingebant verba quædam quasi ab Apostolo dicta, et epistolam quasdam quasi ab eo scriptas, quibus suum dogma, vel somnium potius, scilicet quod instaret dies iudicii, populo persuaderent. Quin et S. Gregorius, S. Leo alique Patres putarunt suo ævo instare diem iudicii, eo quod ex annis Genesios juxta Septuaginta censerent sextum et ultimum mundi millennarium suo sæculo explendum, de quo plura dicam Apoc. xv. Sic et S. Vincentius Ferrerius prædicabat se missum a Deo ut annuntiaret hominibus instare diem iudicii. Mirum est quod scribit Procopius et Leonardus Aretinus, lib. I *De Bello Gothorum*, sub Justiniano Imperatore sparsum fuisse Sibyllinum oraculum, mundum « cum sua prole perituro: » cum ecce dux quidam, Mundus nomine, Italiam a Gothicis liberaturus, cum iis infeliciter pugnans et cum prole cæsus, oraculum declaravit, et mundum impendentis iudicii metu liberavit.

3. QUONIAM NISI VENERIT DISCESSIO PRIMUM, — supple, non venit dies Domini. Pro discessio, Græce est ἡ ἀποστασία, Syriace כַּדְרֵתא *mariduta*: quod respondet Hebræo כַּדְרֵת *mered*, id est defectio et rebellio qua quis deficit a suo principe, illicque rebellat, scilicet illa insignis, plena et generalis (hoc enim innuit articulus *et* et generale nomen apostasias, quod nulla hic gentis aut loci nominatione restringitur aut determinatur), qua scilicet pleræque et passim omnes gentes discedent et deficient tum a Romano imperio, ut explicant Ambrosius, Primasius et Sedulius, de quo plura vers. 6; tum consequenter a Romano Pontifice et Ecclesia, ut Anselmus; tum denique a fide et Christo. Unde Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius et Augustinus,

Anle  
Sicut in  
dicitur  
traque  
gentes  
deficient  
a Romano  
de Pontifice  
et Ecclesia  
Anselmus  
et Augustinus

(1) Multi Græcum vertunt: Rogamus autem vos, fratres, quod attinet ad adventum D. N. J.-C. et nostram ad eum congregationem, etc.

lib. XX *De Civitate*, xix, dissectionem hanc interpretantur Antichristum, per metonymiam: quia ipse causa erit universalis apostasias, ut plerique omnes discedant a Christo. Sed proprie magis ipsam dissectionem accipimus universalem gentium defectionem a Romanæ Imperio. Ponit hic duo signa prævia iudicii: Apostolus: primum, hanc universalem defectionem; secundum, ipsum Antichristum, qui hanc defectionem statim subsequetur, ut magis patebit ex seqq. Adde, non recte, et valde improprie, ipsam apostasiam et defectionem vocari Antichristum. Unde S. Augustinus pro *apostasias* videtur legisse *apostasias*: verit enim, nisi venerit *refugia primum*, id est Antichristus, qui erit refuga et apostata a domino Deo. Sed græca, et latina, et Syrus constanter habent *apostasias*, non *apostasias*; unde, ut dixi, non Antichristus, sed generalis apostasia significatur.

ET REVELATUS FUERIT HOMO PECCATI, FILIUS PERDITIONIS, — id est Antichristus, qui erit homo sceleratissimus, ut totus non videatur esse aliud, quam peccati organum, mancipium et complementum; adeo ut tota peccati universitas in eo habitura sit, inquit B. Irenæus.

Secundo, Antichristus dicitur *filius perditionis*, id est perditissimus, et perdit ac perire dignissimus, ut ex ipsa quasi perditione natus videatur ad hoc, ut se et alios perdat, et in perditionem precipitet. Dupliciter ergo hic « perditio » accipi potest: primo, pro scelere et sceleratissimo, et tunc vox *filius* idem est quod addictus, pronus, mancipatus. Sicut enim dicitur filius inobedientias, superbiæ, luxuriæ, qui se totum addixit et mancipavit inobedientias, superbiæ, luxuriæ: ita dicitur « filius perditionis, » qui ita scelerate et perditie vivit, ut sceleri se devovisse videatur. Secundo, « perditio » hic accipi potest pro damnatione et gehenna, in qua morte æterna perantur et pereunt damnati, et tunc vox *filius* exponenda est per *dignus*. Sicut enim dicitur « filius mortis et gehennæ, » qui morte et gehenna est dignus: ita dicitur « filius perditionis, » qui perditione est dignus, ut in æternum damnatur et pereat. Vide dicta *Ephes. II, 3*. Sic sumitur « perditio, » *Proverb. xv, 11*: « Infernus, et perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? » *g. d.* Deus non tantum novit mortem et statum mortuorum (hunc enim norunt etiam angeli et demones); sed novit quoque ipsa ima inferni, et qui, quantumque sint damnandi, aut damnati; quot loca inferni sint repleta, quot adhuc restent replenda et a quibus, quantum, et quæque modo: quanto magis novit secretas hominum cogitationes et intentiones? Sic et cap. xxvii. vers. 20: « Infernus, et perditio nunquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles. »

Nota: S. Augustinus, lib. XX *De Civitate*, xix, hunc hominem peccati, id est Antichristum, intelligit non certam personam, sed totam multitudinem

Antichristi  
descriptio.

Est filius  
perditionis.

Perditio  
dupliciter  
accipi potest.

impiorum Christo contrarium. Quod a vide arripit Beza et Novantes omnes: Antichristus, inquit, est totum Ecclesiasticum tyrannidis corpus, quod est et erit usque ad finem mundi, cuius caput est Papa, qui adoratur et circumgestatur ut Deus.

Est de fide An- tichristum fore An- tichristum

Sed dico et assero, licet Antichristus ex typo significet Christo contrarium, et sic testis S. Joannes, *epist.* I. cap. II, vers. 18 et 22. omnes haeretici sint Anachristi: tamen certum est et de fide Antichristum fore unum hominem, et certam personam, cuius nomen adhuc est ignotum, quique Antichristus Antonomastice dicitur, quia Christo erit inimicissimus. Patet hoc, quia ille idem hic vocatur homo peccati, filius perditionis, ostendens se tanquam sit Deus, ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet, etc. Ubi in Graeco semper additur articulus δ, qui designat certam personam, δ ὁ ἀδελφός τις ἀγαπᾷς, δ υἱὸς τις ἀποστόλων, δ ἀγαπᾷμενος, δ ἀδελφός: qui clarus certum hominem demonstrare et describere potuisset Apostolus? id clarus patet, vers. 11. Estque sensus et consensus totius Ecclesiae et Patrum omnium, quos citat Sanderus, lib. *De Antichristo*, Bellarminus, lib. III *De Pontifice*, et alii.

desponde- ditur ad auctoritatem D. Augustini

Ad S. Augustinum respondeo primo, cum nihil habere commune cum haeretico; non enim ipse Deus Pontificem Romanum vocat Antichristum, nec populum ut Ecclesiam illi adherentem; sed totam impiorum, puta Turcarum, Saracenorum, Paganorum, haeticorum et malorum Christianorum, multitudinem. Hujus autem non est caput Romanus Pontifex: quid enim juris habet ipse in Turcas, Saracenos, Paganos? Imo hujus multitudinis nullum in terris est caput, nullus homo, nullus rex, pontifex aut monarcha, qui illi prae sit, ut patet.

Non ergo S. Augustinus per Antichristum Romanum Pontificem, aut alium hominem, qui impiorum multitudinem prae sit; sed solum ipsam impiorum multitudinem et congeriem intellexit. Adde, S. Augustinum non loqui asseveranter, sed dubitans, et ex aliorum sententia, ut patet intuenti: et tantum explicare quomodo Antichristus dicitur sessurus in templo Dei, de quo mox dicam; alioquin eodem cap. inferius bis dicit Augustinus Antichristum fore particularem hominem, et non nisi in fine mundi venturum. Sic alibi saepe, ut patet in explicatione Psalmorum, S. Augustinus, omisso (non tamen negato, sed potius (assupposito) sensu literalis S. Scripturae, tra. t. ad mysticum vel symbolicum, tanquam magis subtilem, reconditam et pium. Hic enim est genius S. Augustini, ut novis, ingeniosis et piis sensibus se pascat.

4. QUI ADVERSATUR ET EXTOLLITUR SUPRA OMNE

Augustinus asserit An- tichristum fore particu- larem ho- minem.

quod dicitur Deus, ac quod colitur. — Explicat nomen Antichristi, quod scilicet Christo et Deo, omnique numini sit se oppositum. Rituelo ergo Wolfgangus Musculus: Antichristus (inquit) idem est quod Vicarius Christi, qualem se jaclat Papa Romanus, ipse ergo est Antichristus (1).

Primo enim, hoc repugnat Graeco ἄντι, quod in compositione non vicarium, sed oppositum, aut contrapositum et aequalem significat. Sic ἄντιθεός apud Homerum et alios dicitur, non qui Dei vicarium se dicit, sed qui Deo adversatur, vel qui Deo est aequalis et quasi contrapositus. Sic ἄντιπαύλος significat antagonistam et eumdem in luctu. Sic ἄντιβασιλευς non significat vicarium ducis, sed ducis oppositum, aut eum qui est loco ducis, non ut duci subiectus, sed ut illi aequalis et contrapositus.

Adde, si Antichristus idem est quod Vicarius Christi, ergo Petrus et Paulus omnesque Apostoli fuerunt Antichristi: ipsi enim fuerunt Vicarii Christi. « Pro Christo, inquit, *1 Cor.* v. 20, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. » Legatus enim vice regis legatione fungitur, estque regis vicarius. Et cap. II, 10, dicit Paulus se incestuosum absolvere ab excommunicatione « in persona Christi; » non tantum ergo vicem, sed et personam Christi gerere Paulus.

Secundo, Antichristum significare, non vicarium, ut vult Musculus, sed contrarium Christo, patet *Joan.* II, 22: « Quis est mendax, nisi is qui se agit quoniam Jesus est Christus? hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. » Rursum idem hic clare docet Apostolus: « Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus. » Vel, ut Graeca jam habent, ὁτις πᾶν τὸ λεγόμενον θεῶν, id est supra omnem qui dicitur Deus. Noster videtur legisse, ὁτις πᾶν τὸ λεγόμενον θεῶν, idque melius respondet sequenti ἡ εὐσεβείᾳ. Unde patet, Antichristum non solum Christo, sed omni Deo fore contrarium. Vel ex hoc solo videant viri cordati Novantium calumniam et imposturam, dum Pontificem Romanum contendunt facere Antichristum; ut enim alia taceam, haec demonstratio calumniam hanc everit. Antichristus negabit Christum, eritque Christo et Deo contrarius; imo volet ipse haberi et qui quasi Deus et Christus; atqui Pontifex Romanus non vult coli ut Christus, nec Christum negat, imo credit in Christum, Christum colit et adorat: ergo non est Antichristus.

Hinc patet secundo, Antichristi superbiam fore laetant, non tantum ut adversetur Christo et Deo, sed etiam ut se extollat et praeponat Christo omnique Deo, dicatque se majorem esse, magisque colendum et adorandum esse Christo, ac quovis Deo. Unde pro eo quod Noster vertit, quod colitur, Graeco est ἀγαπᾶται, quod Magdebur-

(1) De Antichristo vix expressam dissertationem in opere cui titulus: *En Belle de Vauv.* tom. XVI, p. 23 et seqq. Confer Atholii, ad II. 1; Hambergi, *Einleitung*, etc. part. VIII. cap. II, § 3.

Vicarius Christi non est Vicarius Christi

Antichristus est omni Deo contrarius

Antichristi superbia

Perperam No- vantes Papam esse Deum inga- tur.

gici vertunt, cultum; Syrus, religionem; melius et clarus Erasmus, Vatablus, imo et Beza verunt, *immen*, quod majestate sua venerandum est, coliturque et adoratur. Voleat enim Antichristus non tam coli super omnem cultum et religionem, ad etiam super omne numen, imo ipse solus volet haberi pro numine et Deo. Hic enim subiicit Paulus: « Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus; » vel, ut clare habent Graeci, ἵνα ἵσθαι, id est ostendens quod ipse sit Deus. Unde patet nomen Dei hic proprie accipi. Perperam ergo Novantes sic explicant: Papa, inquit, extollitur super omnes Deos, id est reges et principes, qui *Psalm.* LXXXI, 6, vocantur Dii, eum dicitur: « Ego dixi, dii estis. » Perperam, inquam: nam quales Deos ibi intelligat Psaltes, mox explicat, dum subdit: « Et filii Excelsi omnes. » Hic vero de Antichristo dicitur, quod adversabitur et extollit se super omnes Deos et numina, ita ut in templo Dei sedeat, velique coli ut numen, ostentans se quasi ipse solus sit Deus. Dii ergo et Deus non reges hic, sed ipsus numen significant, uti docent omnes Patres, et fatentur Erasmus, Vatablus et Beza. Idem de Antichristo docet Daniel, cap. XI, vers. 36 et 37: « Elevabitur, ait, et magnificentibus adversus omnem Deum, et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et Deum patrum suorum non reputabit; nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. »

Hinc sequitur, quod Antichristus omni divino cultu et omni religionis actibus quasi numen coli volet, ac consequenter volet sibi fieri sacrificia, templa, vota; volet per suum nomen jurari; volet adorari, non tantum illa, sed etiam latria; volet invocari ut dator et auctor omnium frugum, opum et honorum, imo ut auctor omnis gratiae et gloriae. Quis Pontificem haecenus ita se extulit, ut ita coli vellet? qui reges et principes tam stolidi fuerint, ut hos illi honores detulerint?

Dices: Pontifex Romanus sella aurea circumgestatur triplici tiara insignis in supplicationibus, quasi numen quoddam; cui reges et principes pedes exosculantur. Respondeo: hic omnis honor non est nimis, nec latria, sed longe ille inferior, quem multi etiam reges et principes apud varias gentes usurparunt. Sic enim Abraham adoravit filios Ieth curvans se in terram, *Genes.* XXIII, 7. Sic Saraceni, Asiani, Japonese, Sines, dum quem honorare volunt, in terram se prosternunt, et fronte humum feriunt. Denique hunc honorem et reverentiam Ecclesiae in suo capite Pontifice a regibus esse defendendum praedixit Isaias, cap. LXIX, 23: « Et erunt, inquit, reges nutriti tui, et reginae nutrices tuae: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lintigent. » An non amplius est lingere pulverem pedum, quam pedes exosculari? Hic honor Pontifici debetur tanquam Hierarcha, et summo sacrorum Antistiti ac Christi Vicario; ac conse-

quenter hoc honore non tam Pontificem, quam Christum in Pontifice veneramus. Propter Christum enim, et respectu Christi, cuius vicem gerit Pontifex, hunc honorem Pontifici deferimus. Unde patet hunc honorem non esse contrarium honori Christi, nihilque de Christi honore demere; imo potius Christi honorem augere et amplificare: Sicut enim qui legatum honorat, regem qui eum misit honorat; roxque putat se honorari, si legatus suis honoratur; et vice versa se despici, si legatus despiciatur: ita et Christus se honorari aut contemni putat, cum ejus vicarii Apostoli et Pontifices honorantur aut contemnantur. « Qui vos audit, inquit, me audit; qui vos spernit, me spernit. »

Hinc sequitur secundo, Antichristum atheum fore, et cum pleno potitur imperio, non tantum Christum, idola et deos Gentium, sed et Deum verum, ejusque cultum, quantum in se est, e mundo ablatum. Ipse enim solus vult coli ut Deus; id enim clare significat hic verba Pauli.

Dices: Quomodo ergo Daniel, cap. xi, vers. 38, dicit de Antichristo, per tyrum Antiochi Epiphanius, quod colat deum *Maozim*? Respondeo: Quia Antichristus, licet publice solus coli volet ut Deus, privatim tamen colit suum daemoneum, quem nuncupabit deum *Maozim*, id est fortitudinem et munitionum; quia ejus ope, fortitudine et potentia omnia sibi subiecit Antichristus.

Moraliter S. Bernardus citans haec Apostoli verba, serm. 4 *in Vigilia Nativit.*: « Omnis, inquit, superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, et superbus vult fieri suam. Deus quidem in his tantum quae ratio approbat, suam vult fieri voluntatem; superbus vero et eum ratione et contra rationem. »

ITA UT IN TEMPLUM DEI SEDEAT. — Graeco est ἵνα σὺς εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ, id est in templum Dei sedeat, id est in Ecclesiam, ait S. Augustinus, q. d. Paulus: Antichristus, id est impiorum multitudo ostendit se, ac si ipsa cum suis esset populus et Ecclesia Dei. Unde quidam codices pro *σὺς*, id est templum, Unde quidam codices pro *σὺς*, id est templum, habent *καθὼς*, id est populum; sed repugnant sequentia et praecedentia; sequitur enim: « Ostendens se tanquam sit Deus. » Sedebit ergo Antichristus in templo, non ut ostendat se esse Dei Ecclesiam, sed ut adoretur tanquam Deus. Hic etiam significat vox *sedere*: nec enim recte dicitur impiorum multitudinem sedere in Ecclesia, sed esse Ecclesiae nomen, titulum et jus occupare et sibi arrogare; sed recte dicitur de idolo, aut rege superbissimo, qualem erit Antichristus, quod in templo Dei sedeat, ut adoretur tanquam Deus. Hic etiam significant praecedentia, nimirum quod adversabitur et efferet se super omne numen, ut ipse solus habeatur et colatur pro numine. Dico ergo Graecum *σὺς*; saepe capi pro *in*, in templum, id est in templo; et ita vertit hic Syrus, Chrysostomus et alii passim. Antichristus ergo sedebit in templo, id est in templis Christianorum; vel sim-

Oratio Luceo- let Deum Maozim.

plinius, in templo Hierosolymitano, quod solum proprie tempore S. Pauli erat et dicebatur templum Dei. Hoc templum ergo tempore Antichristi taliter qualiter reedificabitur Antichristo, ut sit ejus quasi thronus. Antichristus enim Judaeorum dicitur rex, regiamque suam habebit non Romae (hæc enim ante Antichristum a decem regibus evertebatur, ut inferius ostendam), sed Hierosolymis, ibique Elias et Enoch contra Antichristum decertantes et concionantes ab eo occidentur, ut patet Apoc. xi, 8, ubi dicitur: « Et occidet eos (duos testes Dei, Eliam scilicet et Enoch), et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. » Christus scilicet, atque Christus Hierosolymis crucifixus est: ergo hæc magna civitas, in qua occidetur ab Antichristo Elias et Enoch, erit Hierosolyma, non Roma, aut alia aliqua civitas. Antichristus enim persuadebit Judæis se esse Messiam in lege promissum, ut patet Joan. v, 43; ideoque, ait Cyrillus, *Catechesi* 13, templum eis edificabit, ut Davidis filius, id est Messias habeatur, et quasi alter Salomon, qui primus templum edificavit.

In hoc ergo suo templo sedebit Antichristus, non quasi Papa, vel Episcopus, ut volunt Novantes, sed quasi Messias, et quasi Messias a Judæis adorabitur, « Deus. Hoc enim ait hic Paulus: « Ostendens, inquit, se tanquam sit Deus, » et, ut clarus habent Græca, *ἑστὶ θεός*, id est quod sit Deus. « Non enim (inquit Chrysostomus) ad idolatriam abducet ille; sed *ἀντιχριστός* quispiam erit, quovis deos pessumdans, jubebitque seipsam pro Deo coli ac venerari, et in templo Dei collocari, non Hierosolymitano tantum, sed et in Ecclesiis, Ostendens, inquit, se ipsum esse Deum: non dixit seipsum esse Deum, sed ostentare tentans. Magnifica siquidem faciet opera, et signa patrabit admiranda. » Idem docet Ambrosius, Theophylactus, (Cœumenius, Anselmus et passim omnes alii Patres, quos citat Bellarminus, lib. II *De Pontifice*, cap. XIII, et Franciscus Suarez, III *part., Quest. LIX*, art. 6.

5. NON RETINETIS, — memoria. Græcæ est, *μνημονεύετε*, id est non meministis? Ita Ambrosius et alii.

6. ET NUNC QUID DETINEAT (scilicet adventum Antichristi et diei iudicii) scribis, — scilicet mysterium iniquitatis, ut sequitur, quod jam operatur, donec de medio fiat: puta quod Nero et similes adhuc domineant, quodque necdum venerit descissio et defectio generalis a Romano Imperio; quia necdum impleta sunt Romanorum peccata. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Cœumenius et Augustinus supra, Hieronymus, et postea Quest. XI *ad Algasiam*; Cyrillus, *Catech.* 15; Lactantius, lib. VII, cap. xv (1). Qui omnes non tan-

Antichristus quasi Messias a Judæis adorabitur.

Erit antichristus;

Desolatio Romani Imperii et postea scilicet

(1) Jæc D. Augustinus: « Quiam putant hæc de im-

tum inclinationem Romani Imperii, aut domini sedis commutationem, ut heretici volunt; sed plenam ejus desolationem et contra illud omnium gentium rebellionem, dicunt cæto præfaturam adventum et regnum Antichristi; et hoc est quod vers. seq. ait Paulus: « donec de medio fiat, » id est omnino auferatur Romanum Imperium.

Adde ipsam civitatem Romanam tunc omnino desolandam esse et concremandam, ut patet Apoc. xvii, 16, de quo plura vers. seq.

Ex hoc loco et ex *Daniel*, cap. vii, vers. 22, 23 et 26, et *Danielis* xii, 11 et 12, omnes orthodoxi docent Antichristum tantum venturum in fine mundi.

UT REVELETUR, — ille (unde Græca addunt *αὐτός*) homo peccati, Antichristus scilicet.

7. NAM MYSTERIUM JAM OPERATUR INIQUITATIS. — Vers. 7. *Primo*, Cajetanus: « mysterium, » inquit, id est occulta mensura iniquitatum Romanorum jam operatur, sensimque perficitur et impletur; quia impleta, tollitur Romanum Imperium.

*Secundo*, alii nonnulli sic explicant: « mysterium, » id est occultum, secretum et symbolum iniquitatis jam operatur, puta ipse Nero jam regnans; in quo latet magnum arcanaum, scilicet quod ipse erit Antichristus. Putant enim Nerone necdum esse mortuum, vel certe in fine mundi resuscitandum, ut ipse sit Antichristus. Ita Victorinus, in cap. xvii *Apoc.*, et multi veterum, teste Hieronymo in cap. xi *Danielis*. Unde S. Augustinus, lib. xx *De Civit.*, xix: « Nonnulli aut, illum (Nerone) resurrecturum et futurum Antichristum suspiciant. Alii vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius cum putaretur occisus, et vivum occultari in vigore ejus ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur et restitatur in regnum. Sed multum mihi mira est hæc opinantium presumpcio. »

Juvit hanc opinantium suspicionem, quod etiam inter Gentiles fama sparsa fuit Nerone non esse occisum, sed a morte subductum. Ita Suetonius in *Nerone*, cap. LVII: « Non defuerunt, ait, qui per longum tempus, vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent, ac modo imagines pretextas in nostris proferrent, modo edicta quasi viventes et brevi magno iniuiciorum male reversuri. Quin perio dictum fuisse Romano; et propterea Paulum Apostolum non illi aperte scribere voluisse, ne calumniam videret incurrere, quod Romano imperio male operaverit, quam speraretur æternam. » Deinde addit: « Illud quod ait Apostolus, *tantum qui modo tenet*, tenet, *donec de medio fiat*, non absurde de ipso Romano imperio creditur dictum. » Omnia tamen hæc *αὐτός*, quid sit, definiendi tantumina S. Augustinus recte suspicionem appellat, et hæc observat: « Et nunc *αὐτός* *de tenet* *scilicet*, id est, quid sit in mora, quæ causa sit latens ejus, ut reveletur in suo tempore, scitis: quoniam scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos, qui nescimus, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit Apostolus, cupimus, nec valeamus, presentiri quia et illa, quæ addidit, hunc faciunt sensum obscuriorem. Ego prorens quid dixerit, me fateor ignorare. »

præbent adven-tum Antichristi

Altera sententia Nerone non esse mortuum colligitur a Victorino in Occidentibus

Potest illud Nerone non esse mortuum colligi fore Antichristum

Quomodo S. Martinus prædixerit Nerone venturum?

etiam Volageses, Parthorum rex, missis ad senatum legatis de instauranda societate, hoc magnopere oravit, ut Neronis memoria coleretur. Denique cum post viginti annos, adolescens me, exisset conditionis incerte, qui se Nerone esse jactaret, tam favorable nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus et vix redditus sit. » Hæc Suetonius. Sed eadem dilucidius Tacitus his verbis: « Sub idem tempus, Achaia atque Asia falso exterrita, velut Nero adventaret, vario super exitu ejus rumore, eumque pluribus vivere fingentibus, credentibusque.

Hinc partim ex hæc Gentilium fama, partim ex loco Pauli nonnulli opinati sunt Nerone redituro, ut sit Antichristus, vel certe socius et collega Antichristi. Ita inter alios Severus Sulpitius, lib. II *Historiarum*: « Unde, inquit, creditur, etsi se gladio ipse (Nero) transfixerit, curato vulnere ejus esse servatus, secoundum illud quod de eo scriptum est (dic, queso, ubi)?, Ut plaga ejus curata est, subductus est, sub sæculi finem mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat. » Et quod mirearis, hæc sententiam Severus imponit S. Martino: « Cum, inquit, ab eo de fine sæculi quereremus, ait nobis, Nerone et Antichristum prius esse venturos; Nerone in Occidentali plaga, regibus subactis decem, imperaturum; persecutionem hæcenus sperandam, ut idola Gentium colicogant. Ab Antichristo vero Orientale imperium esse capiendum: qui quidem sedem et caput regni Hierosolymam esset habiturus: ab illo urbem et templum esse reparandum. Illius eam persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari, se potius Christum esse confirmans, omnesque secundum legem circumcidi jubeat; et ipsum denique Nerone ab Antichristo esse porimendum, atque sub illius polestate universum orbem cunctasque gentes esse redigendas. »

Quod si verum est hæc S. Martinum dixisse, non quasi propheta hæc dixit, sed quasi recensens et enarrans ea, quæ nonnulli opinati essent partim ex rumore Gentilium, partim ex hoc loco S. Pauli, ut dixi. Cæterum hi dialogi titulo Postumiani et Galli (sic enim inscribantur, eo quod hi sint interlocutores) in Concilio Romano sub Gelasio, decreto de libris apocryphis, relati sunt inter apocrypha. Verum hæc opinio temeraria est, caretque fundamento: certum enim est ex Suetonio, Tacito et aliis, Nerone esse occisum et mortuum; resurrecturum vero eum nec Paulus, nec alius quispiam Propheta prædixit. Adde, per *mysterium iniquitatis*, non intelligi Antichristum, sed præcursorem Antichristi; patet ex vers. seq., ubi subdit Paulus: « Et tunc (scilicet post hoc mysterium adimpletum) revelabitur ille iniquus (Antichristus scilicet), quem Dominus suus interficiet spiritu oris sui. » Denique cum hæc scriberet Paulus, necdum regnabat Nero: hæc enim epistola, ut dixi initio, scripta est anno Christi 67, quo adhuc regnabat Claudius; Nero

enim Claudio successit anno Christi 57. Potest tamen accipi hic locus de Nerone, non ut actu regnante, sed ut proxime regnato, ut jam dicam.

Dico ergo, « mysterium » hic idem est quod figura et typus Antichristi, ejusque summa iniquitatis: tota enim iniquitas et omnium peccatorum colluvies videbitur esse collecta in Antichristo et regno Antichristi.

Unde Syrus vertit, *mysterium iniqui illius* (scilicet Antichristi) *jam sedulo agere incipit*. Sic Apoc. xvii, 7, sacramentum, sive uti græce est, *mysterium*, mulieris vocatur arcana significato et representatio mulieris, seu id quod typice significat illa mulier quam vidit S. Joannes, quæ significabat Romam et Romanum Imperium. Sic Apoc. i, 20, sacramentum septem stellarum vocatur ipsa significatio arcana septem stellarum. Sic *Daniel*, ii, 18 et 36, sacramentum somnii Nabuchodonosoris vocatur ipsa somnii significatio.

Per *mysterium* autem hoc, intelligit Paulus Simonem Magum, ejusque assecles præcursorem Antichristi; ut idem hic dicat Paulus, quod Joannes, *epistol.* I, cap. ii, vers. 18: « Nunc Antichristi multi sunt. » Vel potius intelligit ipsum Nerone cum suis et sua sceleratorum colluvie, aliosque Imperatores Romanos, qui Nerone vel præcesserunt, vel secuti sunt; qui magno fastu et tyrannice imperant, atque Christum Christianorumque persecuti sunt; qualis fuit Cæsar Caligula, Adrianus, Decius, Heliogabalus, Diocletianus et alii per trecentos annos. De hisce enim subdit: « Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. » Fuit enim Nero æque ac Antiochus Epiphanes insignis typus et figura Antichristi, quia fuit monarcha superbarissimus, luxuriosissimus, potentissimus, sceleratissimus, fovi Simonem aliosque magos, fuit hostis Christi et Christianorum, qui primam in eos persecutionem solemnem excitavit, voluitque coli ut Deus, et maxims fuit tyrannus, qualis erit Antichristus, q. d. Nero et similes tyranni jam eodem spiritu agunt et operantur, quo agitur Antichristus ipse, totius iniquitatis caput et princeps; ac proinde ejus « mysterium, » id est figura et typus, et præcursores sunt. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus supra. Vult ergo dicere Paulus: Hoc mysterium est, quod delinet et remoratur adventum Antichristi, quia scilicet necesse est ut Nero et similes, quasi typi et figuræ præcurrant ipsum Antichristum, ipsimque quasi parturiant, ait Anselmus.

Sicut enim Moses, Joannes Baptista et Propheta præcesserunt Christum, illique viam præpararunt: ita par est ut Nero et tyranni præcedant Antichristum, illique sensim viam parent suam sceleribus, ut veniens Antichristus omnem suam iniquitatem parturire et effundere possit.

Hinc *secundo*, cum Theodoro et Augustino supra, atque Anselmo sic accipi potest hæc ipsa

Mysterium iniquitatis fuit Simon Magus, ejusque assecles, vel Nero.

Antichristus, Nero, et similes tyranni, fuit figura Antichristi.

Antichristus præcursores habet ut Christianus.

Mysterium

scribitur  
et in  
ginitis lo  
misi et  
imperti  
tulo  
pallata.

«mysterium iniquitatis.» id est iniquitas arcano et mystica, id est pietatis aut legitimi domini et imperii titulo et nomine palliata, occulte iam in impiis hypocritis et haereticis, ac praesertim in impiissimo Nerone operatur: quae sensim proserpit et crescit, donec per Antichristum in publicam iniquitatem possit. Hoc enim est Graecum τρυφή, id est vim suam exserit. Sicut ergo carbo ignis inter ligna occulte vim suam exserit et vicina adurit, sensimque proserpit, donec in flammam et incendium manifestum erumpat: sic iniquitas a demone accensa, occulte in impiis vim suam exserit serpente; donec in publicam omnium scelorum flammam sub Antichristo erumpat.

TANTUM UT QUI TENET NUNC, TENEAT, DONEC DE MEDIO FIAT. — Id est, ut Augustinus ait supra, qui tenet fidem Christi, teneat eam donec iniquitas mystica, id est occulta, in magnum populum crescat: itaque cum Antichristo de medio fiat, id est exeat de medio Ecclesiae, eique palam bellum indicat. Verum hic sensus divellit verba, quae Paulus coniungit. Tamen de medio fiat, coniungit Paulus cum eo quod praecedit proxime, Qui tenet, teneat. Utrumque ergo eodem referendum est. S. Augustinus autem τὸ qui tenet, teneat, refert ad pios fideles et ad fidem Christi; τὸ vero de medio fiat, refert ad Antichristum et caelum impiorum.

Notandum ergo, haec verba pendere a vers. praeced., et explicare quid sit quod delineat adventum Antichristi, scilicet ut Nero et Romani Imperatores teneant Imperium, donec illud evertat et a medio tollatur. Ita Chrysostomus, Theophylactus et passim Patres, ut dixi: imo Erasmus et Beza. Unde Syrus hic verit, solum (scilicet hoc est quod delineat adventum Antichristi) ut qui nunc detinet (orbis imperium), tollatur de medio, et tunc revelabitur ille iniquus Antichristus; Graeca sic habent, πῶς ἐκ μέσων ἔξει hoc ἐστὶν ἡ σάρκα, id est tantum qui delineat nunc, donec de medio fiat. Ubi necessario vel deest, vel subauditur (ut falerit Erasmus et Beza) ζήτηρ, id est delineat, ut verit Noster (1).

Unde nota secundo, cum Chrysostomo et Theophylacto: Loquitur Paulus hic valde tecte et obscure de Nerone et Romano imperio, non de ex metu, sed prudenter, ne sine causa eum contra se et Christianos concitet. Si enim clare dixisset Nerone esse mysterium iniquitatis et figuram Antichristi, ac Romanum imperium fore dissolvendum, iam Nero, quam Romani in eum quasi impostorem insurrexissent, ac vivum cum defodisset, aliosque fideles cum eo, tanquam qui super tanti imperii demolitione prophetaent et letarentur, inquit Theophylactus.

Nota tertio: Alludit Paulus ad Danielis (quasi omnium temporum chronologi certissimi, notis-

(1) Cf. Hänsberg, op. cit. et Allioti ad h. l.

simi et celeberrimi) caput septimum: ubi Daniel praecipua mundi imperia et monarchias sibi succedentes ordine recenset. Prima fuit Assyriorum et Babilionorum, quae Danieli representata fuit per leonem; secunda Persarum, significata per ursum; tertia Graecorum, significata per pardum; quarta et ultima Romanorum, significata per bestiam decem coruam. Post quae, ut ait Daniel, undecimum parvulum cornu (id est Antichristus) consurget, et crescat, facietque bellum adversus Sanctos, et prevalebit, donec veniat antiquus dierum, ut iudicium et regnum tradat sanctis suis.

«Et sermones (inquit Daniel) contra Excelsum loquetur (Antichristus), et Sanctos Altissimi conteret; et putabit quod possit mutare leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis; et iudicium dabit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispareat usque in finem; regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quae est subter omne caelum, detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient.»

Daniel ergo docet primo regnasse Babylonios; hoc deinde subactos esse a Persis, et Persas a Graecis, et Graecos a Romanis, Romanis successurum Antichristi regnum ad breve tempus, quod a Christi iudicis et Sanctorum glorioso et aeterno regno subvertetur. Eo itaque alludit hic Paulus, q. d. Omnes alii monarchae et tyranni, puta Babilonii, Persae, Graeci iam transierunt: supererunt Nero et Romani, qui tenent nunc imperium, donec illud auferatur, et tunc veniet Antichristus; et mox Christus iudex, qui Antichristum interficiet spiritu oris sui, suumque cum Sanctis regnum aeternum inducet et stabiliet. Ita Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Simili modo arcano et prophethico haec eadem describit S. Joannes, Apoc. xvii, 9: «Reges, inquit, septem sunt. Quinque ceciderunt; unus est, et alius nondum venit: et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.» Deinde subdit, decem reges se illi subdituros. «Idem, inquit, cum Agno (Christo) pugnant, et Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles.»

Ubi, ut docet Ambrosius, Beda, Richardus, Ribera et alii, per septem reges significat conjunctionem tyrannorum, qui septem mundi aetatibus Ecclesiam persecuti sunt, persequuntur et persequentur. Unde ait quinque transisse, sextum adhuc esse, septimum regnaturum ad modicum tempus.

Primus rex fuit Cain cum gigantibus aliisque tyrannis, qui prima mundi aetate, id est ab Adam usque ad diluvium, pios et Ecclesiam persecuti sunt.

Secundus rex fuit Nemrod, et Merops illi as-

Quantum  
Prae-  
cipue or-  
bis mo-  
narchia  
significa-  
ta po-  
bestiam.

Cipiti  
Septem  
mundi  
Reges  
Dicitur  
Danieli  
Alliati.

Omnis  
Imperia  
debent  
tandem  
ordere  
Christi  
regnum.

Septem  
Apoclypsis  
v. 9 et  
11 illustra-  
tiones.

Septem  
reges  
tyranni,  
qui sep-  
tem  
mundi a-  
etatibus  
Eccle-  
siam per-  
secuti.

chitecti turris Babel, qui a Noe usque ad Abraham (hinc enim est secunda mundi aetas) fideles vexarunt.

Tertius rex, qui tertia mundi aetate, quae ab Abraham ad Moysen excurrit, pios oppressit, fuit Pharaon et similes in Aegypto et Sodomis.

Quartus fuit Jeroboam, aliique impij reges Israel et Juda, qui quarta mundi aetate, a Mose scilicet usque ad captivitatem Babilonicam, vitulos aureos et idola invenerunt.

Quintus fuit Nabuchodonosor cum Antiocho Epiphane aliisque ad Christum: haec enim est quinta mundi aetas.

Sextus fuit Nero aliique Imperatores Romani, qui sunt, fuerunt vel erunt a Christo usque ad Antichristum.

Septimus erit Antichristus, qui modicum, scilicet tres annos cum dimidio, regnabit, et a Christo iudicis profligabitur.

Ex diebus deducitur primo, certum esse Romanum Imperium esse ultimum, et duraturum usque ad finem mundi; tunc vero in aliud imperium (Antichristi scilicet), sed breve, commutabitur. Patet hoc ex loco citato Daniel, cap. vii, vers. 21, 22, 23, 26, 27, et Apoc. xvii, vers. 9 et 10, et ex Paulo hic, eisque communis Patrum, teste Hieronymo in cap. vii Daniel, traditio, et, ut videtur, Apostolica.

Secundo, idem certo docent Romanum Imperium destruendum, vel ab ipso Antichristo, vel paulo ante eum.

Tertio, Roma sub finem mundi ad pristinum imperii dignitatem, aeque ac seclera, et a christianismo ad ethnicismum redibit, Pontificemque suum expellet, et fideles ei adherentes persequetur, uti fecit tempore Neronis, Decii et aliorum Imperatorum Gentilium. Unde in Apoc. cap. xvii, xviii et seq., Roma sub finem mundi futura, vocatur a Babilon meretrix magna, sedens super septem montes, ebria sanguine Sanctorum et Martyrum Jesu, quae vino ira fornicationis suae potavit omnes gentes, id est supplicia sua idololatris (haec enim a Prophetis vocatur fornicatio) aliorumque seclerum consecutorum, derivavit in omnes gentes, hoc ipso quo eas ad suam idololatricam, aliisque seclera imitanda compulit.

Quarto, consentiunt Patres et interpretes, decem reges esse ex Apoc. xvii, 12 et 16, collato cum Daniel, vii, 8 et 24, ante Antichristum, stante Roma et Romano imperio, decem fore reges totius orbis et dominos, qui Romam capient, evertent, et Romani Imperium dividunt, inquit S. Hieronymus et alii. Porro Antichristus ex hisce decem regibus successivo tres invadet, regem Liliab, scilicet regem Aethiopiae, regem Lybiae, et regem Aegypti, ut tradit Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus et Irenaeus. Quae clade ceteri septem reges tyranni, ipsi se subdant,

Septimum  
Imperium  
ultimum,  
ad finem  
mundi  
duraturum.

Idem  
docent  
dum.

A ethnicis  
tantum  
redibit  
ethicis  
mum.

Decem  
reges  
esse  
tyranni,  
qui sep-  
tem  
mundi  
divident.

Decem  
reges  
ab  
Antichristo  
invadentur.

unusque omnium rex et monarcha erit Antichristus. An autem hic decem reges eversuri sint Romanam ante Antichristum, an vero sub Antichristo, dubium est, quod pertractavi Apoc. xvii, 16.

Obiecti secundo Beza: Romanum Imperium jam desit; ergo venit Antichristus. Probatu autem accedens, quia Roma jam non imperat Romanus imperator, sed Pontifex Romanus occupavit: ipse ergo videtur Romanum imperium destruxisse, ac consequenter esse Antichristus.

Respondeo, aliud esse Romanum, aliud Romanum Imperium: Romanum enim Imperium et Romanus Imperator sine Roma consistere possunt. Quamvis enim unus Imperatoris locum alteri in eadem potestate et dignitate succedat, uti hactenus factum vidimus, sive Romae imperet, sive non, sive plures obtineat provincias, sive pauciores, est et dicitur Romanus Imperator, et obtinere Romanum Imperium. Id patet primo, quia Roma capta ab Hannibale et Gothis, puta ab Attila, et postea a Genserico, non desit Romanum Imperium, nec Romanus Imperator; uti nec desit Romanus Pontifex esse S. Leo. Mansit enim tunc Honorius Romanus Imperator, licet Ravennae degere. Rursus Valens, Arcadius, Theodosius et ceteri usque ad Justinianum fuerunt Romani Imperatores, et tamen Roma caereunt.

Secundo, id patet a communi omnium sensu: omnes enim Rudolphum Imperatorem modernum vocant Romanum Imperatorem. Ipsi quoque Lutherani suos Electores vocant Electores Imperatoris, vel Regis Romanorum. Rome deique coronam accipit et inauguratur Imperator.

Tertio, Romanum Imperium destruetur et dividetur sub finem mundi a decem regibus, qui erunt hostes Imperii et imperatoris Romani; et postea veniet Antichristus, ut jam ostendi: alqui Pontifex non est hostis, sed amicus et conservator Romani Imperii et Imperatoris, Romanique et alia loca occupat, non invasione, sed donatione et consensu Imperatorum et Principum; idque tot saeculis ante finem mundi, Rursus Pontifex non est rex, multo minus idem cum decem regibus. Denique Pontifex Romanum Imperium non destruxit, nec divisit in decem reges: ergo destructio Romani Imperii, quae praere debet adventum Antichristi, de qua loquitur Apocalypsis, Daniel et Paulus, non est facta per Pontificem; ac multo minus Pontifex est Antichristus.

Denique advertit hic: Hoc signum discessionis et eversionis Romani Imperii sensim impletur, cum sensim inclinatur et deficit Romanum Imperium, simulque Evangelium apud Japonas, Indos, Sinas, totoque orbe sensim propagatur; quod secundum est signum adventus Antichristi et iudicis, datum a Christo discipulis haec ut interrogantibus, Matth. xxiv, 3: «Praedicabitur, inquit vers. 14, hoc Evangelium regni in universo orbe; in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.»

Non desit  
Romanum  
Imperium,  
et si Pon-  
tifer ha-  
bitur.

Aliquet  
arguunt  
haec  
convin-  
centur  
Pontificem  
non esse  
Antichristum.

8. ET TUNC REVELABITUR ILLE INIQUIS (Antichri-

Christus

Dico ergo: Christus interficiet Antichristum spiritus oris sui, id est jussu suo...

Nota secundo. Pro destruet, græce est καταρριον...

Nota tertio: Pro illustratione, græce est εμπαρειξ...

9. CUIUS EST ADVENTUS SECUNDUM OPERATIONEM SATANÆ IN OMNI VIRTUTE (Satanæ, id est potentia)...

Adverte hic: Ante diem iudicii occidetur Antichristus...

fulgore de celo quasi fulmine, a Christo siderandum et afflandum esse Antichristum.

Dices: Apoc. xix, 20, dicitur bestia, id est Antichristus...

Respondeo: Pro interficiet, græce est ἀποκτείνω...

Quædam dicitur de Abiron...

Addeunt S. Hieronymus et Theodoretus in cap. xi Danielis...

Nota: Græcum σατανά et adventum et presentiam significat...

Nota: Græcum παρωσία et adventum et presentiam significat...

giti, scilicet que faciet Antichristus ut homines seducat.

Hinc nota secundo: Aliqui putarunt Antichristum fore diabolum incarnatum...

Tercio, ratione cause efficiētis, quia eorum architectus erit pater mendacii, puta diabolus.

Quarto, probabilius Franciscus Suarez et multi alii volunt...

Secundo, ab infantia Antichristum replebit dæmon malitia sua...

Tercio, in virili ætate dæmon per Antichristum operabitur...

In signis et prodigiis mendacibus. — Nota: Nec Antichristus, nec dæmon...

Nota secundo: Miracula Antichristi dicuntur mendacia quadrupliciter...

Secundo, ratione cause efficiētis, quia eorum architectus erit pater mendacii...

Tercio, ratione cause materiali, ut Theodoretus docet: multa enim ex his miraculis erunt prestigie...

Quarto, respectu cause formalis, quia quæ hæc non erunt prestigie...

Nota: ibidem vers. 13, quod faciet ignem de celo descendere...

Tercio, ibidem vers. 15, quod propheta et præcursor Antichristi faciet statuum eqvæ loqui...

Adde S. Hieronymus, in cap. xviii Revelationis, quæ referuntur...

Nota: Græcum παρωσία et adventum et presentiam significat...

Nota: Græcum παρωσία et adventum et presentiam significat...

Miracula Antichristi dicuntur mendacia quadrupliciter...

Tris miracula Antichristi...

Primus, turbationis sanatio.

Secundum, ignis ex celo descendens.

Tertium, locutio statuum eqvæ loqui.

Quarta, turbationis sanatio.

Nota: Græcum παρωσία et adventum et presentiam significat...

Ante diem iudicii occidetur Antichristus...

Ortas, educatio et via Antichristi.

Consumm. mundi: Leprosos, inquit, mundabit, paralyticos excitabit, expellet demones, longinqua non aliter quam presentia denuntiabit, mortuos suscitabit, transferet montes ante oculos spectantium, sicis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem e caelo, convertet diem in tenebras, et noctem in diem, solem circumaget quo liberit. Et, ut semel dicam, omnia terre marisque elementa, vi oblate apparitionis, coram spectantibus obtemperare sibi demonstrabit. » Et S. Ephrem tractatu De Consummat. mundi et Antichristo: « Transferet, inquit, montes et insulas fallaciter, et currere quidem videbitur mons coram cunctis spectantibus, licet omnino a suis fundamentis non sit motus: super abyssum incedet, et in ea, ut super terram ambulare se simulabit. Magna tribulatio erit in diebus illis, quando seipsum ut hemm ostentabit formidabilibus portentis, per aera volitans, cunctique demones in forma angelorum cum timore coram tyranno in aere sublimis volitare conspicietur. »

**10. ET IN OMNI SEDUCTIONE INQUITATIS IIS QUI PERIURANT, — ut omni arte et modo seducant homines ad iniquitatem, ut pereant et damnentur.**

Nota: Hæc artificiosè utitur Antichristus ad decipiendum homines. *Primo*, magna comitate et gratia se insinuando captandique hominum gratiam. *Secundo*, sanctimonia simulata. *Tertio*, sapientia sua et eloquentia incredibili: callebit enim omnes artes et Scripturas, ait Anselmus. *Quarto*, promittendo et largiendo suis ingentes opes. *Quinto*, reluctantis inferendo terrores et tormenta exquisita. *Secundo*, faciendo signa et prodigia rotibus admiranda. Denique a demone suo omnem fallendi artem discet.

Nota: *Tu is, vel, ut erace est, in is qui percutit*, significat has artes efficaces fore in hominibus levibus, impiis, ideoque reprobis, qui morte æterna peribunt, adeoque illos per illas artes seductos isti, et consequenter perituros et damnandos. Notat maxime Judeos, ut mox dicam. Alii enim cordati et constantes has artes et imposturas facile pervidebunt, nec iis sinent se seduci, sed usque ad mortem Antichristo resistent, ideoque martyrii lauream obtinebunt.

**Et quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.** — « Charitas veritatis, » primo, juxta Anselmum, est charitas vera, sive charitas et spiritus Christi veræ verque amabilis. *Secundo*, ut Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, « charitas veritatis » est Christus, qui utramque est, scilicet tam charitas, quam veritas, et propter utramque venit in mundum; scilicet, ut verissima charitate se nobis traderet, utque suam charitatem et veritatem nos amplecti et æmulari doceret. Unde S. Cyprianus, epist. 33 ad Cornelium, legit, « eo quod dilectum veritatis non habuerunt. » *Tertio*, « charitas veritatis » est amor, vel, ut Ambrosius, « dilectio veritatis, » q. d. Quia non habuerunt amorem veritatis, quia noluerunt

amare veritatem; ideo mittit illis Deus operationem erroris per Antichristum. Ita Vatablus. Hic sensus facilius est et planior, magisque connexus versui sequenti: opponit enim amorem veritatis errori, sive amori et amplexui erroris.

Tacite nomine notat iudeos fide enim docent Patres Antichristum venturum maxime hac de causa, ut Iudeos decipiat, idque in penam incredulitatis suæ, qua noluerunt recipere Christum, qui tota miracula, tam veram fidem et doctrinam, tam puros mores et vitam Judeis exhibuit. Idem significat Christus, Joannis cap. v, vers. 43: « Ego veni, inquit, in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius (Antichristus) venerit in nomine suo, illum accipietis. » Unde sequitur:

**Id est (quia scilicet noluerunt recipere veritatem et amorem veritatis) MITTET ILLIS DEUS OPERATIONEM ERRORIS, UT CREDANT MENDACIO.** — Pro « operationem erroris, » græce est *ἐπιθυμία πλάτης*, id est, ut Syrus, efficaciam seductionis vel imposturæ, scilicet illa miracula aliæque artificia fallendi, quibus, ut dixi, Judeos a Christo aversos poterit et efficaciter ad se pelliciet Antichristus.

Nota: Dicitur Deus mittere hæc opera et imposturas Antichristi, quia ex proposito ea Judæis aliusque hominibus immitti permittit, inquit S. Augustinus, lib. XX De Civitate Dei, cap. xix, laxando scilicet habenas tum diabolo, tum ipsi Antichristo: non enim opus est, ut positive eos mittat Deus ad decipiendum homines, eum ipsi per se ad hoc promptissimi sint futuri, nec aliud sint desideraturi, quam ut Deus hanc decipiendi perferre eis permittat. Simili modo dicitur II Reg. xiv, Deus commovisse (id est a diabolo et suis adulteribus commoveri permisisse) Davidem (ad numerandum populum), quod fuit peccatum superbiæ in Davide. Eodem modo et sensu dicitur Deus miscere spiritum vertiginis, dare spiritum mendacii, conjunctionis, soporis, etc., ut dixi Can. 17 et 23.

Hinc patet levem, cum mittit spiritum erroris, cum exerceat, cum indurat, adeoque cum peccata precedentia punit peccatis sequentibus, non tantum se habere negative: sic enim non irrogaret poenam: nec enim iudex censetur punire reum, si negativè permittat eum furari et male agere: sed habere etiam se positive ac positivo actu, et specialis providentia et decreto decernere permittere peccatum posterius hoc fine, ut puniat prius, ut dixi Can. 16.

Moraliter S. Augustinus, lib. V Contra Julianum, cap. iii, docet homines ob præcedentia peccata, præcipue ob veritatis oblatæ repudium, hæc poena gravissima a Deo puniri (eo modo et sensu quo jam explicavi), ut credant mendaciis et erroribus in suam perniciem. « An non est peccatum, ait, et poena peccati, ubi legitur: Dominus miscuit illis spiritum erroris, et seduxerunt Ægyptum in omnibus vis suis, sicut seducebat Chrius? Non

Antichristus mittit operationem erroris

Deusque modo non habet in perniciem seductionem et posturam et periculum Antichristi?

Veritatem oblatam re pudicium et perniciem inducitur et errorum poenam

est peccatum et poena peccati, ubi Deo dicit Propheta: Quid errare fecisti nos, Domine, a via tua, of iudisti corda nostra, ut non timeremus te? Non est peccatum et poena peccati, ubi rursus Deo dicitur: Ecce tu iratus es, et nos peccavimus, propterea erravimus, et facti sumus insensati omnes? Non est peccatum et poena peccati, ubi legitur de gentibus, quæ debellarit Josue, quia per Domitium factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum contra Israel, et exterminarentur? Non est peccatum et poena peccati, quod non audivit Roboam rex plebem bene momentem, quoniam sicut Scriptura loquitur: Erat converso a Domino, ut staret verbum suum, quod de illo locutus est in manu Propheta? Non est peccatum et poena peccati in eo quod scriptum est, « Amasiam, regem Iuda, noluisse audire Ios, regem Israel, bene momentem ne procederet ad bellandum? » Et inferioris citans hunc Pauli locum sic ait: « Unde est illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ut credant mendacio. Ut seduceretur Achab et in prelio periret, vidit Michæas Dominum sedentem in throno, et exercitus cæli coram eo. Et dixit Dominus: Quis seduceat Achab, et ascendet, et cadet in Ramoth Galaad? Et dixit spiritus quidam: Ego seducaam eum. Et dixit Dominus ad eum: In quo? Et dixit: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit: Seduces, et pravelebis; exi, et fac sic. »

**Vox ut referri potest ad mittet,** et tunc non causam finalem, sed tantum consequentiam significat, q. d. Permittit Deus Antichristum operari et seducere homines, unde consequetur ut illi qui Christum sequi noluerunt, credant mendacii Antichristi. Nec enim Deus hoc fine mittit Antichristum, ut intendant per eum seducere homines, et impellere in mendacium: sed potius hoc fine, ut cognoscant homines per opera Antichristi, quanta sit efficacia demonis, quantumque infirmitas hominis: ut contra eum se muniant, humiliterque Dei gratiam invocent: ut ita e contrario pateat quanta sit efficacia gratiæ Christi in is qui Antichristo resistent, quæ omnem nature infirmitatem et demonis efficaciam generose et constanter superabit. Ex hac tamen missione, vel potius permissione Antichristi, id consequitur, ut multum in malum et errores propensi ab eo seducantur, credantque ejus mendaciis et fallaciis.

**Secundo et melius, vox ut referri potest ad id, quod proxime præcedit,** scilicet ad operationem erroris; et tunc proprie sumitur, significatque causam finalem, q. d. Hæc operatio erroris, et seductio Antichristi ab eo fiet hoc fine, ut homines creant ejus mendacio: sive hæc opera Antichristi impellent homines, facientque eos credere mendacio.

**11. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. q. d. Ut justo Dei iudicio arguantur et condemnentur Judæi et similes, qui Christo et veritati Evangelicæ per Christum allatæ credere noluerunt; sed memorem Antichristum receperunt, ejusque heresim et sceleratos mores secuti et æmulati sunt.**

Nota: *Ut* significat hic causam finalem iniquitatis Antichristi; referitur enim ad id, quod dixit vers. præced. « Ideo mittit illis Deus operationem erroris. »

Pro quo nota *secundo*: Duplex est causa, cur Deus permittit tanta et tam potentè operari Antichristum. Prior et primaria ea est, quam jam dixi, ut pateat in Sanctis, qui illi resistent, gratiæ Christi efficacia. Altera et secundaria, et quasi consequens causa est, quam solam hic adfert Apostolus, scilicet ut hæc ratione Deus puniat incredulitatem Judæorum, qui Christum sequi noluerunt: puniat, inquam, primo, permissione tante tentationis Antichristi, ac lapsus ac consensus Judæorum, ut credant mendacio.

*Secundo*, ut posito jam eorum lapsu, quodque jam crederent mendacio, puniat eos in die iudicii, congruendo eorum malignitatem, quod Christi vera miracula, veram doctrinam, veram et sanctam vitam amplecti noluerunt; sed vice versa Antichristi falsa miracula, doctrinam et vitam impiam amplecti sint; ac consequenter puniat eos, æternæ damnationi illos adjudicando.

Nota *tertio*: Tam hic quam vers. 10, veritatem Christi opponit Apostolus non mendaciis, sed iniquitati Antichristi; quia ex veritate justitiam et sanctitatem Christi, quasi ex fonte rivulos promanantes subintelligit. Rursus, sub iniquitate mendaciæ et errores Antichristi, quasi sub toto partem complectitur: erit enim Antichristus omnis iniquitatis architectus; ideoque omnes iniqui, impii, scelerati eum recipient, illi consentient, illo rege gaudebunt.

Hic locus est partim controversus, partim ductiens de Antichristo: de quo multi fuisse et præclare scriperunt, quæ quia non vacat multis perlegere, ego ea hic paucis complectar, et quæcumque ex S. Scriptura vel Patribus de Antichristo certa sunt, aut valde probabilia, in medium afferam.

Quæritur ergo *primo*: An Antichristus venerit, an vero sit adhuc venturus? Heretici, quæ ante erant venisse. Papam enim Romanum, factum esse Antichristum, cum cepit contra legem Christi inducere Missas, imagines, Purgatorium, indulgentias, cultum Sanctorum: cumque cepit dominari aliis episcopis, sibi que arrogavit jus et titulum Pastoris ac Principis totius Ecclesiæ. Id factum autem sub annum Domini 600. Unde David Chytraus Gregorium Magnum (quem omnes tam Græci quam Latini ut sanctum coluerunt) vocat

Duplex causa, ob quam Deus permittit potestatem tantam Antichristo

Controversia facta de Antichristi heretice sententiæ

Quest. I. An Antichristus venerit, an venturus sit

Heretici volent Antichristum

primum Antichristum. Illyrius vero, Lutherus et plures Novantium, Gregorium vocant ultimum Roman. Pontificem. Gregorio enim successit Sabinius: sed hic statim eodem anno defunctus est. Sabinius successit Bonifacius III, qui anno Domini 686: Thoa Imperatore Œcumenici nomen accepit, scilicet vocaretur Universalis totius orbis Episcopus et Pontifex. Hunc ergo voluit esse primum Antichristum.

Pontificatus Ecclesie titulus Romanus mansit?

Verum falluntur et fallunt. Nam, ut alia taceam, Concilium Œcumenicum Chalcedone habitum, actione prima, secunda et tertia, passim S. Leonem, qui longe ante S. Gregorium fuit Romanus Pontifex, vocat Pontificem universalem Ecclesie. Quid est hoc aliud, quam esse Œcumenicum? Ideoque Pontifices Romani semper vel per se, vel per legatos suos Conciliis Œcumenicis preeserunt, tanquam capita et principes totius Ecclesie, quam representat Concilium Œcumenicum.

Rursum, si a Bonifacio III Pontifices Romani omnes fuerunt Antichristi, ergo jam per mille annos Ecclesiam suam deseruit Christus; ergo per mille annos Ecclesia Christi perit, que tamen in Scriptura predicatur esse regnum Christi eternum; ergo per mille annos omnes Catholici et Christianissimi Reges, Principes, Dynastæ, Episcopi, Doctores, totusque orbis Christianus adoravit Antichristum; ergo per mille annos tota Ecclesia (quæ tamen ab Apostolo dicitur esse columna et firmamentum veritatis) in gravissimis fuit erroribus, imo in idololatria, fuitque synagoga Satana; ergo in Ecclesia non Christi, sed Antichristi et diaboli ratas, baptizatus, educatus est Lutherus, Calvinus alique Novantes, si verum est, quod ipsi aiunt, sub annum sexcentisimum compressis Missas, imagines, invocationem Sanctorum, orationes pro defunctis. Sed absit. Hæc enim fuisse in Ecclesia ante annum sexcentisimum, imo a temporibus Apostolorum, docent S. Ignatius, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus et alii omnes, quos in singulis materiis per singulas annorum a Christo nato centurias proferunt et citant Catholici omnes, qui de controversiis scriperunt.

Missæ, imagines, invocatio Sanctorum ab initio Ecclesie fuit?

Respondet ergo et dico, Antichristum necdum venisse, sed esse venturum, ac consequenter nec Papam Romanum, nec quem alium qui vivat aut vixerit, esse Antichristum. Id breviter novem rationibus demonstrat.

Erit una singularis Persona?

Primo, quia unus erit singularis homo, qui dicitur Antichristus, ut ostendi ex vers. 3; atqui Papa non est nomen hominis singularis, sed nomen officii communis, in quo unus alteri succedit: nomen enim Papæ tam commune est multis, quam nomen regis, imperatoris, episcopi: ergo Papa non est Antichristus.

Non veniet nisi eversus fuerit Jerusalem?

Secundo, Antichristus non veniet, nisi postquam omnino eversum fuerit Romanum Imperium a decem regibus, ut patet hic vers. 3, et Daniel. cap. VII, vers 24, juncto cum Apocalyp. XVII,

11 et 16; atqui necdum omnino eversum est Romanum Imperium, nec hactenus visi sunt decem reges illud evertescentes; ergo necdum venit Antichristus.

Tertio, Antichristus erit ex diametro contrarius Jesu Christo, ejusque nomen, fidem et cultum tollet, voleatque ipsemet haberi Christus et Messias, ut patet hic vers. 11 et 12. Joan. II, 22, et Joan. V, 43; atqui nec Papa, nec quis alius similis hactenus Christi fidem et cultum sustulit, voluitque haberi Christus: ergo nec Papa, nec aliquis illi similis hactenus fuit, qui esse possit Antichristus.

Quarto, Antichristus abrogabit in Ecclesia jus sacrificium (quod non potest esse aliud quam Missæ) omnemque Dei cultum et ceremonias, imo omnem religionem, ut patet Daniel. XII, 11, et hic vers. 4; atqui hactenus perdurat Missæ sacrificium, Dei cultus et cœremonia in Ecclesia Romana: ergo hactenus in Ecclesia Romana non est visus Antichristus.

Quinto, Antichristus Deo vero omnique numini adversabitur, voleatque ipse solus haberi et coli in templo ut Deus et numen; atqui nec Papa, nec quis alius hactenus omne numen sustulit, voluitque ipse in templo coli ut numen: ergo nec Papa. nec quis alius hactenus fuit Antichristus.

Sexto, Antichristus, ut docet Daniel ibidem tantum regnabit dies mille ducentos nonaginta atqui Papa per plures dies, imo annos regnavit ergo Papa non est Antichristus. Respondent Novantes, Daniele diem pro anno accipere: sed contra hoc facit, quod S. Joannes, Apoc. CAP. XI, vers. 2 et 3, dies redigat ad menses, numeratque menses persecutionis Antichristi quadraginta duos, quibus calcabit Ecclesiam et civitatem sanctam. Rursum Daniel, VII, 25, docet Antichristum regnaturum « per tempus, » id est annum (sic enim Daniel, IV, 29, dicit Nabuchodonosorem cum bestitiis vixisse per septem tempora, id est septem annos, uti omnes exponunt), « et tempora, » id est duos annos, « et dimidium temporis, » id est anni.

Ubi nota, pro tempore, in Chaldaeo (qua lingua hæc scripsit Daniel) עֶדְנָן iddanin, uti Rabini puncta subjecerunt, quod est pluralis numeri et significat tempora; sed videtur legendum alii punctati in duali עֶדְנָן iddanin, id est, duo tempora: quanquam Chaldaei rari duali, et plerumque plurali etiam pro duali utuntur, ut notat Guido Fabricius in Grammatica Syrochaldaica. Sive ergo legas iddanin, sive iddanain, trumlibet hic duale est, et, ut omnes verunt, significat duo tempora, id est duos annos. Voluit enim Daniel numerare et consignare certa et definita tempora, id est annos monarchie et persecutionis Antichristi, dicitque eos fore tres cum dimidio, qui efficiunt menses 42, quos numerat S. Joannes in Apocalyp., et dies 1290, quos numerat Daniel cap. XII. It docent passim Patres. Atqui Pontifex non tres annos cum dimidio, sed plusquam mille an-

Lexa illis d' Apoc. lypis de Antichristi tempore illustrata.

Monarchie Antichristi tres annos cum dimidio.

nis in Ecclesia regnavit et praesedit: ergo Pontifex non est Antichristus.

Septimo, Antichristi imperium erit ultimum mundi, erique sub finem mundi, paulo ante judicium, ut patet Daniel. VII, 21, 22, 23, 26; atqui Papa jam diu ante finem mundi diemque judicii, scilicet mille annis regnavit: ergo Papa non est Antichristus.

Antichristus occidet Eliam et Enoch.

Octavo, Antichristus occidet Eliam et Enoch, ut patet Apoc. XI, 7, estque communis sententia Patrum; atqui Papa non occidet Eliam et Enoch, nec Elias et Enoch hise mille annis visi sunt: ergo Papa non est Antichristus.

Berwald Hieroclyan.

Nono, Antichristus non regnabit Romæ (illa enim ante Antichristum evertebatur et concremabatur a decem regibus, ut ostendi vers. 7); sed Hierosolymis, ut patet Apoc. XI, 8; Papa autem non regnat Hierosolymis, sed Romæ: ergo Papa non est Antichristus.

idicem nam Novantium dicitur Papam dixisse Antichristum.

Hinc patet, ridiculum esse dicere venisse Antichristum. Sed nimirum livor mentem exacerat, et durum est telum necessitas. Novantes vident suas et alias aliorum quavis ætate hæreses a Pontifice Romano damnari et damnatas esse. Quid agant ut judicem hunc declinent? necesse est ut faciant Antichristum: si enim eum Christi esse, cum Christo, pro Christo, Christique vicarium faterentur, diceremus eis: Cur ergo ejus sententia, imo Christi sententia non acquiescitis? Tolerabilius foret, et in speciem probabilius quippiam dicerent, si Papam non Antichristum, sed Antichristi prodromum et præcursorem clamitarent; tunc enim Scriptura, quam se sequi clamitant, de Antichristo loquenti vim tantam non inferrent, licet Pontifici atrocem calumniam et injuriam irrogarent. Verum odium et indignatio eos ultra metam abripit, perinde ut rixosas mulieres, que ubi rixari coperint, ex animi impotentia quicquid cholera suggerit, adeoque plaustra convitiarum evolvunt. Viri cordati, qui rem non passione, sed rationis trutinam metuntur, satis perspicunt hæc calumnias ex odio in Pontificem profectas, que in ipsomet qui eas jacunt, longe verius quadrent.

Hereticis symmetris in Antichristi.

Hereticos enim esse Antichristos, id est Antichristi symmetras et socios, eodemque cum Antichristo spiritu agi, docet S. Joannes, epistolæ I, cap. II, vers. 22: « Quis est, inquit, mendax, nisi is qui negat quecumque Jesus est Christus? » (uti negavit Cerinthus hæreticus) hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium; » et vers. 48: « Nunc, inquit, Antichristi multi facti sunt. Ex nobis proderunt: sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent atque nobiscum. »

An non Lutherus, Calvinus, Menno exiverunt ex vobis? ex nostra Ecclesia Catholica Romana? atque ut se excusent, clamitant illam factam esse meretricem Babylonis, scortum Antichristi et diaboli. Verum hoc ipso faciunt se Antichristi et meretricis hujus filios, spurios, diabolicos. Ipsi enim, ut dixi, in hæc Ecclesia nati et baptizati et educati sunt.

Quæritur, si quis sit Antichristus?

Quæritur secundo: Quis et qualis erit Antichristus? Respondeo: Omnes docent fore Judæum. multique addunt fore ex tribu Dan; idque probant ex Genes. XLIX, 17, ubi dicitur: « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. » Quod hæc ad litteram de Sansone instar colubri astute et fortiter Philistinum impugnavit intelligatur, mystice tamen de Antichristo accipi potest; ideoque, inquit, Apoc. VII, inter duodecim tribus, in quarum qualibet duodecim millia signati numerantur, omittitur tribus Dan, eo quod ex tribu Dan oriatur Antichristus. Unde omnes Danitæ Antichristum ut contribulem sequentur, nemoque ex eis bitur.

Humili loco noster.

Secundo, Antichristus humili loco, et ex vilibus Judæis nascetur. Inde enim a Daniel. cap. VII, vocatur cornu parvulum, quod sensim crescat, quodque non hereditate, sed fraude regnum obtinebit, Daniel. XI, 20 et 21. Addit S. Hieronymus nasciturum Antichristum in Babylone: alii in urbe Dan, quæ postea dicta est Cesarea Philippum. Insuper Damascenum tradit eum ex fomicatione procreandum. Auctor tractatus de Antichristo, qui extat tomo IX operum S. Augustini (videtur esse Rabanus), docet Antichristum educandum in Corozain et Bethsaida, ac proinde Christum hise urbibus via intentasse. Sed hæc omnia vel frivola, vel incerta sunt.

Nomen Antichristi traditum.

Tertio, nomen Antichristi adhuc ignotum est: illud tamen constat, quod littere nominis ejus arithmetice conficiunt numerum 666, ut patet Apoc. XII, 18. Hinc aliquid putarunt Mahometem esse Antichristum; quia hic impostor cepit sub hunc annorum Domini numerum. Sed errant: non enim cepit Mahomet regnare anno Domini 666, sed 623. Neque Joannes de numero annorum, sed nominis Antichristi loquitur.

Initium Antichristi occidit.

Quarto, Antichristus primo Judæos sibi conciliabit, judaizando et promittendo eis bona temporalia, que ipsi a suo Messia ave expectant; sibi primam occidit. Erat enim opulentissimus: ejus enim thesauros extollit Daniel, cap. XI, 43. Anselmus, per thesauros hos intelligit omnem pecuniam, que in mari, vel in terra visceribus occulta delitescit: hæc enim per demonem Antichristi prodamam esse. Hinc ergo Antichristus a Judæis recipietur et habebitur quasi Messias promissus et tot seculis ab his avidissime expectatus, Joas. V, 43.

Initium Antichristi occidit.

Quinto, habebit suum præcursorem, uti Christus habuit Joannem Baptistam. Is erit insignis impostor, ut videatur miracula facere, cogletque imaginem Antichristi ab omnibus adorari, Apoc. XIII, 43.

Est res, opera Joasorum, hancuræ.

Sexto, per Judæos sensim crescat Antichristus, fietque rex; addit Francisus Suarez, Ribera alique multi, quod incipiet regnare in Babylone. Id enim videtur significare Zacharias, cap. V, vers. ult., ubi dicit Zacharias mulierem amphiore in-





perarunt. Sed hoc est impium: Gog enim pugnat contra castra Sanctorum et sanctam civitatem, id est veram Dei Ecclesiam. Cum ergo Bullonius ejusque socii in bello sacro pugnaverint contra Turcos et Saracenos, sequitur, ex sententia Biliandri, Turcos et Saracenos esse castra Sanctam et sanctam civitatem.

Septimo, Magdeburgenses opinantur Gog et Magog esse Turcos et Saracenos: sed errant. Gog enim et Magog tantum erunt in fine mundi cum Antichristo, ut patet Apoc. xx, 7 et 11.

Octavo, S. Ambrosius, lib. II De Fide, cap. ult., putat Gog esse Gothos, qui Romanorum provincias vastarunt. Alii putant Gog esse Getas, Magog Massagetas.

Nono, S. Hieronymus sentit Gog esse haeresiarchas, Magog esse illos qui eis credunt.

Decimo, S. Augustinus, lib. XX De Civit. Dei, XXI: Gog, inquit, hebraice idem est quod tectum, sive domus; Magog idem est quod de lecto, sive ille qui de domo procedit. Gog ergo sunt gentes, in quibus valuit in domo vel abisso diabolus est inclusus. Magog est diabolus, qui de illis gentibus quodammodo se effert et procedit. Vel Gog sunt gentes, in quibus nunc includitur et tegitur diabolus; et eodem gentes erunt Magog, id est de tecto, quando in apertum odium de aperto erupturae sunt. Ita Augustinus. Verum Gog non fore diabolum patet ex Apoc. xx, ubi S. Joannes dicit quod diabolus suscitabit Gog, non ergo Gog est diabolus.

Pro responsione, nota ex Augustino, Areta, Primasio, Ruperto, Anselmo et aliis passim, Gog et Magog futuros tempore Antichristi; unde Ezechiel ait eos fore tempore novissimo. Et patet Apoc. xx, 7 et 11.

Dico ergo praelium Gog esse praelium Antichristi contra Ecclesiam, esseque novissimam persecutionem. Ita S. Augustinus et alii.

Secundo, Gog videtur esse ipse Antichristus, vel exercitus ejus rex et belli dux: Magog erit principem, Magog vero vocat terram vel gentem.

Tertio, Gog dicitur a Magog, quia princeps erit gentis Magog.

Quarto, exercitus Antichristi dicitur Magog, quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris; vel quia barbarus erit et crudelis instar Scytharum; nam Magog esse Scythas, colligitur ex Genes. x, ubi filius Japhet vocatur Magog, a quo inhabitatum et nominatum Scythiam docet Josephus, lib. I Antig., XI, et Hieronymus in Quast. Hebraicis in Genesi. Unde et socii Gog, quos hic nominat Ezechiel, scilicet Gomer, Togorma, Mosoch, Tubal, filii sunt vel nepotes Japhet, a quibus aliae gentes nomen sunt sortite; ut Tubal sunt Hispani, Togorma Phryges, Mosoch Cappadoces.

Hinc rursus Ezechiel, cap. XXXVIII, vers. 15, dicit Gog et Magog venturum ex aquilone: in aquilone autem habitant Scythae et Tartari, et hi

fuerunt milites Tamberlanis, qui, quasi aliter Antichristus, innumerabili suo exercitu omnia vastavit.

Dices: Apoc. xx, 7, dicitur quod Satanas seduct gētes, quae sunt super quatuor angulos terrae Gog et Magog; ergo Gog et Magog sunt gentes: et quavis mundi plaga. Ita S. Augustinus.

Respondeo: Sensus S. Joannis est, Satanas seduct omnes gentes, quin etiam Gog et Magog. Videntur enim Gog et Magog fore reges et milites maxime ferae et fortissime, ex septem illis regibus, qui, ut dixi, sponte se subdunt Antichristo.

Quinto, exercitus Antichristi erit maximus; instar arenae maris, Apoc. xx. Putant aliqui hu: pertinere illud Apoc. ix, 16, ubi dicitur: « Et numerus equestris exercitus vices milles dena millia; graece δὲ μυριάδες μυριάδων, id est decem myriades myriadum: myriades continent decem millia, duo ergo myriades myriadum sunt ducenta millena milia, sive ducenti milliones: ducentos ergo miliones equitum habebit Antichristus, quantos ergo foret peditatus illius? Verum hic locus non spectat ad Antichristum, sed ad tempora praevia Antichristo. Pro quo nota: Vidit S. Joannes, Apocal. v, 5, librum signatum septem sigillis; et tota Apocalypsi non aliud facit, quam tunc librum cum suis sigillis, explicare. Unde duae sunt partes Apocalypsi: priorae usque ad cap. xii, explicatur et reserantur septem signilla hujus libri; posterior autem, a cap. xii ad finem Apocalypsi, reseratur et explicatur, quae scripta erant in libro.

Nota secundo: Septem signilla continent septem persecutiones Ecclesiae, quas illa patietur ante et usque ad Antichristum. Unde liber legi non poterat, nisi reseratis septem sigillis; quia tempora Antichristi videri nequeunt, nisi praeviant aliae persecutiones septem sigillis obsignatae. Liber vero ipse continet ipsam persecutionem Antichristi, et ea quae fiunt tempore Antichristi; jam hi ducenti milliones equitum, Apoc. cap. ix, vers. 16, non pertinent ad librum, ac consequenter nec ad Antichristum, sed ad praevia tempora: pertinent enim ad septimum signillum, in quo septem angeli septem tubis septem plagas in orbem evocarunt, et sextus angelus sua tuba evocavit hos ducentos milliones equitum, qui tertiam hominum partem occiderunt. Id recte demonstrat Franciscus Ribera sub finem x cap. Apoc.

Secundo, exercitus Gog et Magog venient ad Antichristum in Jerusalem, ut in ea totaque Judaea fideles et Christianos deleant: confluent enim undequaque Christiani et Gentiles Hierosolymam, ut audiant Eliam et Enoch in ea conclamationes, et hoc significat S. Joannes Apoc. xx, 8, cum ait: « Et ascenderunt (Gog et Magog) super latitudinem terrae; et circumierunt castra sanctorum et civitatem dilectam (Hierosolymam scilicet). Castrum sanctorum vocat receptacula et latitacula sanctorum Christianorum; non enim verisimile est

Magog exercitus Apoc. dicitur.

Duo partes Apocalypsi et terrae obiecta.

Septem signilla sunt septem Ecclesiae persecutiones.

appresso Christianos habituros militaria castra sub Antichristo potentissimo, quibus collatis signis cum Antichristo totoque ejus exercitu confligant. Unde subdit S. Joannes, quod juxta Hierosolymam de caelo pugnabit contra Antichristianos hos Christus, omnesque disperdet in loco, qui in hebraice dicitur Armageddon, Apocal. xv, 16, quasi « Vas, anathema excidii, id est plenum excidium. Sic enim ait Apoc. xx, 9: « Et descendit ignis a Deo de caelo, et devoravit eos (Gog et Magog). » Idem docet Ezechiel, xxxviii, 22, cum ait: « Et judicabo (puniam) eum (Gog) peste et sanguine; et imbre vehementi, et lapidibus immensis; ignem et sulphur pluem super eum, et super exercitum ejus, et super populos multos, qui sunt cum eo. » Addit Ezechiel tanta fore cesorum spolia, ut foco sufficere possint toti Israel ad septem annos: tunc simul cum eis Antichristus rapietur ad tartara, Apoc. xx, 41. Denique Daniel xii, cum numerasset dies regni ejus 1290, addit: « Beatus, qui pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque, id est ad 45 diem a caede Antichristi, Gog et Magog, non quod tunc sit futurus dies iudicii, sed quod tunc plane Ecclesia et orbis liberabitur ab omnibus Antichristi asseclis, ut ponitere possint qui sub Antichristo lapsi sunt, tuncque Ecclesia restaurabitur et reflorescet. Dabitur ergo plusculum temporis et spatii, ac consequenter non statim post hos 45 dies sequetur dies iudicii, imo Ezechiel videtur dicere fore adhaec septem annos ante finem mundi, cap. xxxix, vers. 14, 15. Unde Sibylla, lib. Oraculorum, docet post mortem Antichristi feminam viduam regnaturam, quae aurum, argentum, res et ferrum in mare projiciet, tuncque seculorum finem mundi et diem iudicii.

12. NOS AUTEM DEBEMUS GRATIAS AGERE DEO SEMPER PRO VOBIS, FRATRES DILECTI A DEO, QUOD ELEGERIT VOS DEUS PRIMITIIS IN SALUTEM, IN SANCTIFICATIONE SPIRITUS ET IN FIDE VERITATIS. — Quia horribilia, inquit Chrysostomus et Theophylactus de Antichristo lisque qui illi credent, dixerat, vixit mitigatis sument, scilicet iis qui perierunt; nos autem non terrore concuti, sed laetitia exultare, gratiasque Deo agere debemus; nos, inquam, et nullo magis vos, eo quod vos elegerit Deus primitiis in salutem, » id est ad salutem, q. d. Elegit vos Deus, ut sitis primitiae salvandorum. Hos enim opponit iis qui perierunt.

Nota: Noster Interpres in Graeco videtur legisse ἀρχαίς, id est primitiis: jam legitur, ἀρχῆς. Id est a principio, quod Theophylactus praedestinationem, q. d. A principio, ab refert ad praedestinationem, q. d. A principio, ab refert ad electionem. Recte autem Thessalonicenses vocantur primitiae, quia Paulus ait inter primos praedicavit Evangelium, eosque convertit ad fidem et salutem.

Secundo, loquitur Paulus de electione non efficienda, sed de mediata ad salutem, id est

gloriam coelestem, sed de mediata et inchoata, qua eliguntur, id est aestimantur ad salutem omnes Christiani per fidem et baptismum; ut si gratiam, quam in baptismo acciperent, conservent, et in vita Christiana pergant, uti sperant, certo et efficaciter salutem et gloriam sint adfuturi. Unde Paulus explicat quomodo eos Deus elegerit in salutem, dum subdit: « In sanctificatione spiritus et in fide veritatis, » id est, ut Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, Vatablus et alii, per sanctificationem spiritus et fidem veritatis, q. d. Deus elegit et direxit nos ad salutem, posuitque nos in via salutis, hoc ipso quo in baptismo in-fudit nobis veram fidem Christi et gratiam sanctificantem, qua spiritum et mentem nostram sanctificavit.

13. IN QUIA (ad quam, scilicet fidem et sanctificationem, graece αὐτῆς, id est, ad quod; Syrus ad quae, ut referat se ad omnia, quae dixit Paulus vers. praeced.) ET VOCAVIT VOS PER EVANGELIUM NOSTRUM IN ACQUISITIONE GLORIAE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. — Ut scilicet acquiratis gloriam coelestem, quam habet Dominus noster Jesus Christus; vel potius, ut per fidem, gratiam et salutem major gloria Christo illorum auctori acquiratur. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Unde Syrus verit, ut deceri sitis Domino nostro Jesu Christo: graece enim est αὐτῶν ἐπιδοτέων. Quo allicitur ad Ezech. xix, v, ubi Dominus ad Hebraeos dicit: « Eritis mihi in peculum, » id est in peculiarem hereditatem, q. d. Licet meus sit universus orbis et omnes gentes, vos tamen, o Hebraei, a me dilecti et electi, eritis pars mea et portio praeparata et electa et dilecta (hoc enim significat Hebraicum פֶּתִיל סֵגוּלָה), esto sitis pusillus grex, eritis tamen totum pecus meum, id est omnis substantia mea, totae opes meae. Olim enim omnis substantia veterum erat in pecore. Unde hoc peculum explicans, Deuter. xxxiii, 9: « Pars, inquit, Domini populus ejus, Jacob (Hebraei posteri Jacob, sive Jacobaei) funiculus hereditatis ejus, » id est erunt ipsi Deo portio hereditaria, quasi ad funiculum divisa et admensa. Septuaginta, Ezech. xix, pro eritis mihi in peculum, vertunt, eritis mihi in pecunia, eritis mihi populus peculiaris, et, ut Theodoretus verit, ἐπιδοτέων, id est electus, quem scilicet Deus sibi ut proprium et peculiarem acquisivit et emit, dum eum per tot labores ex Aegypto in Sina et Chanaan eduxit. Septuaginta sequens S. Petrus, epist. I, cap. i, vers. 9: « Vos, inquit, (o Christiani) genus electum, regale sacerdotium, gentes sancta, populus acquisitionis, » graece λαὸς ἐπιδοτέων, id est populus in acquisitionem, quem scilicet Christus suo sanguine acquisivit et emit: sic hic Paulus ait Christianos esse acquisitionem, id est populum acquisitum Christo et glorie Christi. De quo rursus dicam H. Timoth. ii, 19.

14. ITAQUE, FRATRES, STATE IN FIDE ET TRADITIONIBUS, QUAS DIDIISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER

Fides peculiaris populi et peculiaria Dei.

Thessalonicenses vocantur primitiae, quia Paulus ait inter primos praedicavit Evangelium, eosque convertit ad fidem et salutem.

Paulus de electione non efficienda, sed de mediata ad salutem, id est

ac consequenter in pristina sua malitia, ac vite improbitate, quam mutare et corrigere non possunt, nisi fidem et gratiam Christi amplectantur.

Quod ergo nolunt fidem Christi amplecti, causa est cur permanent mali et importuni : sic vulgo dicimus, non omnium est modestia, temperantia, castitas, quia multi nolunt suis concupiscentiis resistere sibi que vim inferre, sed volunt eas sequi, ac lascivire, inebriari se et fornicari.

Sic recte jam apud Indos dicitur : Non omnium, imo paucorum est fides, quia multi Indorum idolis, polygamie aliisque voluptatibus et vitis addicti nolunt fidem et legem Christi amplecti, ne idola, uxorum turbam aliasque voluptates relinquere cogantur. Fides enim et lex christiana res excelsa, ardua et heretica est, ad quam nemo perficit, nisi sua concupiscentias generose superet et heroice seipsum vincat, ut mores christianos assumat. Et hoc significat hæc sententia : « Non omnium est fides, » scilicet quod fides non est hominum animalium et carnalium; sed eorum tantum, qui quasi heroes ad rem tam arduam conantur et gratia Dei cooperantur, vitamque spiritualem, imo angelicam sectari contendunt.

Adde Apostolum non loqui hic de hæreticis, qui semel fidem Christi susceperunt et postea ab ea apostatarunt, sed de infidelibus, judaizantibus et Paganis, qui nunquam Christi fidem susceperant, sed illam impedire et evertere omnibus modis nitentur; qualis fuit Alexander serarius, ut fatetur ipse Paulus II *Timoth.* iv, 14. Ita Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Dices : Fides est donum Dei; ergo non est in nostra, sed in Dei potestate.

Respondendo negando consequentiam : fides enim non est donum Dei, sicut propheta, donum linguarum, miraculorum, etc., sunt dona Dei : hæc enim a solo Deo homini donantur; sed fides est donum Dei eodem modo quo prudentia, fortitudo, temperantia cæteraque virtutes; imo omnia bona opera dicuntur esse dona Dei, quia scilicet Deus sua gratia ad actum fidei allarumque virtutum nos excitat et vocat; ita tamen ut nobis liberum relinquit hinc gratiæ assentiri, vel dissentire; illam amplecti, aut respuere; cum illa operari et credere, aut illam negligere et nolle credere. Ita Theodoretus et alii. Vide dicta I *Corinth.* vii, 7, ubi explicui quomodo quisque proprium donum castitatis habeat a Deo.

3. FIDELIS AUTEM DEUS EST QUI CONFIRMABIT VOS, ET C. STODIET A MALO. — Hæc connectenda sunt cum vers. 2 capitis precedentis et ultimo ejusdem : ibi enim dicitur, quod Deus elegerit eos prioritatis in salutem, id est primitias fidelium et salvandorum, oravitque, ut Deus eos in omni bono confirmet : hic vero dicit Deum ita facturum, ut, quia fidelis est et verax, opus fidei et salutis, quod in eis orsus est, committet, perficiat et absolvat. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Quamquam non est necesse in hisce epistolis, ut pote

aversio voluntas est causa malitia.

Fides quomodo sit donum Dei, et tamen in nostra potestate.

note epistolico (quo scilicet varia familiariter sine connexione ad amicos perscribuntur) scriptis, ubique connexionem quaerere.

STODIET A MALO. — a Satana, ut ipso vobis non praevaleat, inquit Chrysostomus et Theophylactus. Hic enim græce dicitur ἐπινομήσει, id est malus antonomastice, quamquam τοῦ πονηροῦ in neutro genere hic accipi potest, ut significet quodlibet malum.

4. CONFIDIMUS DE VOBIS IN DOMINO, QUONIAM QUÆ PRÆCIPIMUS, ET FACITIS, ET FACIETIS. — Quia dixerat fidelem esse Deum, ut perficiat in eis opus fidei, quod exæperat, ne jam existimantes, inquit Theophylactus, totum esse Dei, ipsi torpeant et segnes fiant, ecce hic cooperationem ab eis postulat, q. d. Deus quidem fidelis est, et omnia facit que sua sunt, si vos vicissim gratia Dei non desitis, sed cum ea operemini; ne vero hanc cooperationem suam sibi superbe arrogant, addit : « In Domino, » id est in Domini gratia, ut indicet omnia a Domino Deique gratia pendere.

Denique non contentus dicere *facitis*, addit, *et faciatis*; ut significet continuo et ad extremum usque spiritum id faciendum esse. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

5. DOMINUS DIRIGAT VESTRA IN CHARITATE DEI, ET PATENTIA CHRISTI. — Græce εἰς ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ, id est in charitate, sive dilectione Dei, et patientia Christi vos Deus dirigat.

Nota, « dirigat, » id est recto charitatis et patientiæ tramite incedere vos faciat, ut ab earumdem semita non aberratis, neque declinetis ad dextram, vel sinistram; hæc enim est recta ad perfectionem, ad salutem et ad cœlum via, si recta charitatis et patientiæ semita gradiamur. Optat ergo Paulus eos dirigi in charitatem et patientiam, quasi in rectam semitam ad salutem : multa enim sunt, que ab hæc recta semita nos conantur abducere, inquit Chrysostomus et ex eo Theophylactus, scilicet opes, gloria vana, afflictiones, tentationes, pericula; sed Deus his impedimentis, vel amotis, vel superatis, facit nos rectam insisteret viam, eamque assidue prosequi.

Nota : Quivis Christianus, qui salutis suæ curam habet, assidue Deum orare debet, ut se in omnibus ita protegat, excitet, dirigat, sicut novit salutis suæ expedire : ut per eas vias se deducat, que peccati non habent scandalum, quibus providet Deus hominem non lapsurum in peccatum, sed inoffenso pede per actus charitatis et patientiæ recta iterum ad cœlum. Hoc debet esse perpetuum nostrum votum et assidua deprecatio, cum in eo salutis nostræ cardo versetur, ut scilicet Deus nobis eam viam, eam statim, eam auxiliorum mensuram conferat, cum qua novit nos certissime salvandos; rursum, cum qua novit nos opus quod molimur, feliciter ad exitum perducuros. Felices, qui ita a Deo diriguntur, ut possint dicere : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit; ipse deducit velut ovem Joseph (me) ! » De tali di-

Vers. 4.

Cooperatio est virtus Dei requiritur.

Recta ad perfectionem et salutem via.

Optima via.

ctur *Psal.* i : « Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. »

ET PATIENTIA CHRISTI. — Primo, ut Christi patientiam imitemini, inquit Anselmus. Secundo et melius, « in patientia, » id est ad perseverantiam et patientem expectationem Christi, ejusque glorie et coronæ : Græcum enim ὑπομονή significat perseverantiam et tolerantiam rei alicujus moleste sub spe et expectatione liberationis aut præmii. Unde Syrus vertit, *Dominus noster dirigat corda vestra in dilectione Dei, et למסבירנותו lamsobberainote, id est expectatione Messieho sive Christi* : ut scilicet secundum ejus adventum ad judicium, et ad coronandam vestram spem, charitatem et patientiam, longanimiter exspectetis; nec, si eum differat, desperetis, sed firmiter credatis, quod ea qua promisit, certo complectur sit. Ita Chrysostomus et Theophylactus, qui addunt : Charitati, inquit, Dei adunxit Apostolus patientiam, quia hæc est charitas Dei, et hoc est diligere Deum, si propter ipsum patienti sis animo in adversis et persecutionibus, non cieas turbas, non contuberis, sed patienter exspectes liberationem et coronam glorie a Christo judice.

6. DOMINUS DIRIGAT VESTRA IN CHARITATE DEI, ET PATIENTIA CHRISTI. — id est per nomen Domini Jesu Christi, id est per ipsum Jesum Christum : « nomen » enim ponitur metonymice pro re nomine significata. Sic sepe in Scripturis dicitur sperandum esse vel invocandum nomen Domini, id est sperandum in Domino, invocandum esse Dominum. Præcipit ergo per Christum, id est Christi nomine, vice, potestate et auctoritate, qua fungebatur quasi legatus, vicarius et Apostolus Christi.

UT SUBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE (CHRISTIANO) ANBUANTE (CONVERSANTE) INORDINATE. — Græce ἀτάκτως, id est in composito, inordinate, turbulente, quod fit dum quis v. g., contemptis legibus publicis et ordine communi, vivere vult suo arbitrato et phantasia incompressa et inordinata; ἀτάκτως hic vocat ordinis et disciplinæ turbationem consequentem ex otio, ac consequenter otium ipsum. Sicut enim in castris milites ii, qui solvunt disciplinam militarem, vocantur ἀτάκτοι : ita a Paulo hic Christiani illi, qui solvunt disciplinam Ecclesiasticam et Christianam, a se quasi duce et Apostolo præscriptam, vocantur ἀτάκτοι. Et sicut in castris hæc disciplina turbationem inducit otium : milites enim otiosi incipiunt segnescere, luxu diffusi, murmurare, inelamare pecuniam, ordinemque omnem turbare, ac tandem rebellare; ita in Ecclesia Thessalonicensium, et alia quavis, otium multorum pariebat eorumdem curiositatem, curiositas inquietudinem, inquietudo solvebat disciplinam : qui enim otiosi sunt sibi, ergo alios sunt curiosi omnibusque se immiscere volunt, et sic turbant ordinem et omnia.

ET NON SECUNDUM TRADITIONEM, QUAM ACCEPERUNT A NOBIS. — Nota primum traditionis nomen : Græce est παράδοση, quod Syrus vertit, *πρῶσῆτα*; Vatablus, *institutionem*; traditio ergo est institutio tradita voce, vel, ut inquit Chrysostomus et Theophylactus, opere; unde sequitur :

7. IPSI ENIM SCITIS QUOMADMODUM OPORTEAT IMITARI NOS, — q. d. Ego vobis typus et norma vitæ vendi fui, formam vitæ mea vita vobis præscripsi et tradidi; sequimini ergo institutionem hanc meam, quam non tam per verba, quam per opera vobis tradidi. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

QUONIAM NON INQUIETI FUIMUS INTER VOS. — Græce est idem verbum quod Noster vers. præced. vertit, *inordinate*, scilicet ἁτακτως, id est inordinati, incompositi, turbulenti fuimus; Ambrosius vertit, *non intemperanter* (id est turbulente) vicimus apud vos; Noster non verbum verbo, sed sensum reddit, dum vertit, *inquieti fuimus*; nam per hæc ataxiam et inordinationem Apostolus intelligit otium, et ex eo consequentem inquietudinem, omnisque disciplinæ et ordinis turbationem, q. d. Non fuimus apud vos otiosi; ac consequenter nec inquieti, nec turbulenti. « Inordinationem (inquit Chrysostomus et Theophylactus) vocat Paulus otium : Deus enim hoc possit hominem ad laborem, artusque ejus ad opus exercit; quocirca quietiosus est, ob ordine suo deficit et creatione. »

8. NOCTE ET DIE OPERANTES, NE QUEM VESTRUM GRAVAREMUS. — Mechanicum ergo artem exercenit Paulus, puta scenofactoriam, una cum prædicatione Evangelii, ut patet *Acto.* xviii, 3. Unde Origenes, hom. 17 in *Numeros* : Paulus, ait, a faciendis tabernaculis terrenis ad celestia construenda translatus est. Nimirum consuebat tabernacula ex pellibus, quibus milites intenter in castris.

Queres, qua ratione Paulus, cum esset nobilis et sacris Litteris eruditus, mechanicam didicet? Respondeo, id fecisse ex instituto veterum Rabbinorum : sic enim R. Scemahaia et R. Gamaliel ii, qui sacras Litteras disceant, præscripserunt, ut opificum quoque aliquod manuale addiscerent, tum ut eo victum sibi pararent, tum corporis exercendi et animi a studiis relaxandi causa; addebantque eos, qui illud negligenter, procliviores ad peccata futuros. Sic R. Johanna sutoriam, R. Juda pistoriam didicit. Sic Carolus Magnus, teste Eginhardo et aliis, in ejus Vita, filios suos mechanicam aliquam et filias suas latinicium vel latinicium discere voluit. Idem hodie nonnulli nobiles faciunt, idque (vni otii et peccatorum vitandorum causa, tum ut, si opus et necessitas inagruat, labore hoc manuum et arte sua victum sibi conquirit. Idem ergo fecit Paulus et alii Apostoli, aliosque ad idem hortati sunt : hæc enim eorum sunt verba apud Clementem, lib. I *Constit.*, cap. lxxvi : « Qui in Ecclesia juvenes estis, curate in omnibus rebus necessariis

Otiosus ab ordine suo deficit et creatione.

Vers. 8. Paulus scenofactoriam unam exercuit.

Rabbi et nobilis soliti artem mechanicam discere.

Optima mechanica.